



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quænam illa tribulatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

longius iter faceret, tanquam violator sabbati accusabatur, & superstitionis quidem occasio dabatur, ut calumniarentur, eos fauere Romanis, ad gentium ritus transire, aut sane esse Christianos. Aliis diebus idem periculum non erat; nam commeabunt hinc inde homines, ut itineri quisque posset causam aliam habere, vel prætexere, sabbati profanati crimen, eo tempore impietatis, apostasie, prodigionis habebatur: Tyrannis autem & satellitibus optata faciendi causa offerebatur, ut quamvis illi omnia iura, legesque Dei pessumdarent, in sabbati tamen violatoribus puniendis se iustos, & religiosos esse monstrarent. Cum enim undique calumnias in contribules confingerent, sponte & vitro oblatas occasiones eos dimittisse de manu, nemo facile adducetur, ut credat. Non igitur impeditum erat iter sabbato, & fuga, ob religionem, vel conscientiam fugientium, aut scandalum Iudæorum: sed furor populi supersticiosi, & infidias tyrannicorum satellitum, quibus causæ spiciose faciendi præbeatur. Quemadmodum si quem pascha aut pentecostes die opus facere Christiani videant, facile coniciunt eum religionem pacui facere, ita quoque, sed multo seuerius in sabbati neglectu Iudæi statuebant.

VERSVS 21.

Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.

QUESTIO I.

Quenam illa tribulatio?

§. 1. **M**aior erit illa noua tribulatio, quam vetus, quæ Antiochi tempore Iudæos oppressit, ut Hilar. Deinde Tostatus etiam maiorem putat, quam ea quæ sub Antich. isto. Calamitates recenset Iosephus toto tractatu de bello Iudaico. In ipsa obsidione Metropolis occisa sunt vndeies centena millia, capta nonaginta septem millia. Quod si generaliter rem confideremus, plures Cæsar occidit. Nam in Galliis absque bellis ciuilibus numerum æquauit: Bello autem ciuili in Gallia, Italia, Hispania, in acie Pharsalica, deinde contra Scipionem, & Pompei liberos beligerans, non paucos perdidit. Captiuus eius multum superant Iudæorum mancipiorum numerum. Hæc vnus Iulius, at quam multos interim Pompeius, Crassus, alii imperatores, & proconsoles? Lucas futorem dicit tribulationem illam, cum Ierusalem circumdabitur ab exercitu, & esse dies ultionis, fore magnam pressuram in terra; ita & populo huic, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Hanc tribulationem S. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 8. ad finem sæculi refert, ut etiam illud de refrigerante caritate. Ita Iren. lib. 5. cap. 29. Ambros. in Lucam. Et ratio ostendit. Nam Matthæus ait statim post tribulationem dierum istorum sol obscurabitur. Verbum autem *tribulatio* non conuenit designationi temporum, si post milles & sexcentos annos adhuc spacium, siue magnum, siue paruum superest; Christus enim loquitur more humano de temporibus, licet mille anni, imo centum annorum millia sint in conspectu eius, sicut dies vnus. In ratione tamen temporis usurpat calculum humanum; alioqui cum dicit breuiates dies, posset nihilo minus quispiam aliquot annorum millia sibi imaginari. Sic & Marcus connectit, c. 13. 24. Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur. Nondum sol est obscuratus, nondum luna defecit; interea tot Christianorum per orbem totum

millia occisa sunt, & grauius, & crudelius, quam sint tractati Iudæi. Nā ut illa quæ Iudæi fecerunt in Christianos taceamus, Neronianam persecutionem, & hortos illos ferales consideremus. Deinde Antichristi persecutio grauissima futura est, & generalissima; totam enim Ecclesiam opprimit, Apoc. 20. Vide Augustin. lib. 20. de ciuit. cap. 11. Hæc erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto orbe terrarum patietur, vniuersa scilicet ciuitas Christi, ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacunque erit vtraque super terram. Tertio persecutio illa acerbissima futura est, ut nec emere, nec vendere quispiam possit, nisi habeat imaginem bestiarum.

§. 2. Oritur tamen ex Christi verbis difficultas. Non enim & de illa Titiana, & alia antichristiana dominus videtur posse loqui. Tribulatio enim hæc adeo magna est, ut alia maior aut par nec antecessit, nec secutura sit. Non fuit, inquit Matth. ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et Marc. 13. 19. Erunt enim illi illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creature, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient. Si igitur de Titiana clade intelligimus, ad tempora Antichristiana referre non possumus, cum patem dari neget Christus: si de persecutione Antichristiana, interpretamur; non possumus de Titiana; nam par præcessit; itaque vna tantum, vnius temporis est persecutio.

Vidit eam difficultatem Augustinus, & soluit, Epist. 80. ad Hefychium. Nam Iosephus qui Iudaicam scripsit historiam talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut non credibilia videantur. Vnde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse à creatura initio, nec futuram. Sed & si tempore Antichristi, talis aut maior forsenerit, intelligendum est de illo populo dictum, quod ei talis amplius futura non erit. Si enim Antichristum illi primitus & præcipue reperiunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurus. Euangelistas igitur de tribulatione Iudæorum locutos indicat Augustinus.

Non ergo maior fuit vnquam populi Iudaici tribulatio, nec erit, quam illa Titiana. Nec fuit maior Ecclesie Christi, nec erit, quam Antichristiana. Nec Iudaici populi, nec eius progenitorum, forte tamen aliarum gentium maiores fuerunt afflictiones. Atque hoc ipsum Lucas indicare videtur. Nempe de Iudæorum tribulationibus sermonem esse. Nam discere dicit. v. 26. Tunc scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius. Et v. 23. *ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλῃ ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ὁ ἀνθρώπος ἐν τῷ λαῷ τῷ τότε.* Erit enim pressura magna & ira populo huic. De solis Iudæis dicitur. Nam obliuiscimur tempore inter gentes non fuerunt illarum grandes calamitates. Sub initio enim Vespasiani imperii orbis, et si non omnino pacatus, solito tamen erat quietior. Comparatio igitur est inter Iudæos, qui bellum passi sunt, & eorum maiores & posteri. Maior vero Ecclesie totius erit afflictio tempore Antichristiano, tanta, quanta nec retro de cem persecutorum imperiis, nec sub aliorum tyrannide fuit. Hæc vero ad Antichristi tempora interpretes plerique deducunt.

§. 3. Cum hæc tenus illa publica, & vniuersali Ecclesie persecutio non fuerit, nondum etiam maximus ille mundi totius monothronus Antichristus rerum potitus est. Obstupui impudentiam Caluini, Bezae, Parei, Bredetodii, Poueli, Wittakeri, Rulli, Sileentis, Parei, Surluii, Sibrandi, Grolii Abbati, & aliorumque, qui persecutionibus illis se petitos ab Antichristo seu Romano pontifice queruntur, cuius imperio, cum mille, vel octingentis, aut in nimum sexcentis annos tribuant, suas tamen Ecclesias ad centum annos extendere, non possunt, & quidem se ipsius interea mutata doctrina, vrin iubililo iubilum probant. Simul etiam alias ostendi plures Caluini, eos, honore, fortuna spoliatos ab hæreticis, quam i pontifici

Magna tribulationes.

Christus in temporum calculo vtiur more loquendi vtiur.

pentitice animaduertum lege fuerit in sectarios. Quae de vide Bellarminum lib. 3. de pontifice. cap. 7. & in eius defensione nostrum Gieslerum. Plura de hac calamitate in cap. 12. 1. Danielis. Et venit tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse coeperunt.

VERSUS 22.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

QUESTIO I.

Quomodo & quando dies breuiati?

Augustino questionem proponit Hefychius de tempore extremi iudicii, & addit: Breuiati dies, idco illos cognosci non posse. Hoc Augustin. Epist. 80. prius intelligere se pnegat. Si enim ex pluribus sunt pauciores, falsa est prophetia de pluribus. Nam non ignorabat angelus Dominum dies breuiaturum, nec prophetia Christi, prophetiam de finit Danielis, siue igitur dies singuli breuiiores facti sunt, siue aliqui decurrati, ut essent pauciores, id à Daniele & Christo prædictum est. De curati sunt autem seu *ἐκλήθησαν* ut Marcus habet, à Domino. Non quod cum ante plures dec esset, postea vero rescripto *ἐκλήθησαν* in pauciores redegeret, sed quod curtos seu paucos esse iusserit à principio, sic arcere tempus dicitur, non qui abbreviaret, sed qui breue constituit.

§. 1. Decurrati sunt obsidionis tempore. Cum enim diuissime Iudæi defendere se potuerint, breui in potestatem trivenerunt. Nam primo seditionibus seipsi attriverunt. Deinde frumentum penè omne, quod non paucis anni sufficere potuit, incendio absumptum. Ioseph. lib. 6. cap. 1. belli. Nullos apparatus fecerant, eodem loco, præfente Tito pugnati in templo, cap. 4. Imo Iosephus cap. 11. Fontes Tito piores fuisse narrat, qui ante auerant. Ita præparata est obsidio, cum Iudei reliquias populi miseratus, liberare contendit, & non eos aggeres instruit. Et tandem ingenti periculo superat, multosque seruauit, quod si obsidio esset protracta, non esset salua facta omnis caro, sed propter electos dies illos Deus breuiavit. Hoc ergo tempus definiunt decurrati dies Chrysostom. & Politas, & nonnulli recentiores.

§. 2. Hanc sententiam ut non oppugno, ita aliam sententiam esse demonstrato, qua tempus persecutionis Antichristianæ breuiaturum potius, quam obsidionis. Neque enim vel ad idola colenda cogebatur, vel à Deo Titus auocabat. Imo sacrilegia illis obsecrat. Ioseph. lib. 7. cap. 4. Nonne vos cancello locum Iudeorum protexistis? Nonne litera Græci ac nostri incisas portas constitistis? quibus ne septa cuiquam transiret, clauderetur? Nonne eos qui transissent, quamuis Romanus esset, non necare permisistis? Quid igitur in eo etiam mortuos conculcastis, & nocentissimi? aut cur templum externi, & pontis sanguinis confusione polluitis? Promittit deinde non accessurus ad templum Romanos, si illi inde discedant, seruabo autem, inquit, vobis etiam nolentibus. Dedititio autem pontifices, quod sciret illis grante esse in alienigenis moribus versari, misit Gophnam, ut quæriturum confuleret, ad nullum crimen igitur electos impellebat. Titus, at nec seditiosi. Clarum autem videtur ex vers. 24. Surgent enim Pseudochristi, &

dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, (si fieri potest) etiam electi. At à signis seditionis, & prophetarum quos subornarunt, signa & prodigia non fuerunt, connectuntur autem ista. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Tunc si quis vobis dixerit; Hoc tempore breuiaturum deum. Surgent enim pseudoprophetae, &c. At vero Antichristi tempore pugna religionis, & persecutio non externa modo, sed etiam spiritualis erat, ubi periculum labendi est, non ubi de imperio certatur. Lucas qui alia ad Ierosolymitanam obsidionem accommodat, de abbreuiatione dierum omittit. Itaque tanta seductio, quæ etiam electos afflat, tempore Antichristi fuit: neque Iosephus, nec ullus auctorum est, qui tempore obsidionis tanta signa & prodigia facta dicat, ut Christianos à fide abdukerint. Sed rapinas, crudelitates, seditiosi non faciebant miracula. & scelera prodigiosa omnia inundabant. Nec ideo omisit, quod bellicis intentus illa negligeret, cum ad belli causas pertinetent. Deinde prophetæ quos seditiosi producebant, siue eorum duces, non Christos alios, Ioannem, Eleazarum, aut Simonem dicebant: sed vestri vsu dicebant: Ego sum Christus: sed n. que magi de quibus lib. 2. cap. 12. loquitur Iosephus tanta signa faciebant.

Seductores, inquit Iosephus, homines & circumuentiones, sub specie religionis nouis rebus studentes, vulgus insanire fecerunt. nam in solitudines egrediebantur, promittentes Deum signa eis ostensurum libertatis. Contra quos Felix videbatur quippe semina defectionis esse, mittens equites atque pedes armatos, magnam multitudinem interfecit. Maiore autem plaga Iudeos afflixit Aegyptius quidam pseudopropheta. Adueniens quippe, in prouinciam. Magnus cum esset, Propheta opinionem sibi arrogans, triginta ferme millia hominum congregauit, quos vana seductione deciperat. Et circumducens eos, de solitudine in montem qui vocatur oliuarum, inde ad Hierosolymam nitentur ascendere: depulsoque Romanorum presidio in populares exercere dominationem. Vcebatur autem stipendiis, qui ad id facinus conuenerant. Prauidit sane eius impetum Felix, & occurrens cum ipsis Romanis armatus, quos etiam Iudeorum reliqua multitudo inuabat, in se confectum. Et Aegyptius quidem cum paucis fugit. Plurimi autem qui cum ipso fuerant comprehensi atque vinculis traditi sunt. Reliqua vero multitudo in regiones proprias dispersa est. Compresis vero his etiam, sicut fere in agro corpore, rursus pars altera tumescebat. Magi enim quidam & latrones collecti, multis afflictionem inducebant: & quasi ad libertatem vocabant, mortem apertissimam comminantes, his qui Romanorum principatui obedire voluissent: ut vel reluctantes auerterent eos qui spontaneè serrent seruicium. Dispersi ergo per totam regionem diripiebant quorumque potentium domos, eosque insuper trucidabant: inflammabant etiam vicos, ita ut desperatione eorum tota Iudæa protinus impleteretur.

Seducunt illi quidem aliquot millia, sed tamen paucierant, qui illos Christos credebant; Nam tres illi principes obsidionis tempore à nullo homine, ne à suis quidem, satellitibus pro Christis habiti sunt: à ciuibus, vero & sacerdotibus Iudeorum pro sanctissimis latronibus estimabantur. Etsi igitur quispiam suspicari sine vlla auctoritate velit, quædam illusiones magorum illo misereabili tempore fuisse, in metropoli Iudeorum, non tamen signa & prodigia fuerunt talia, ut posset quispiam credere latronem aliquem Messiam esse, aut si talia fuerunt, ut multi crederent, non id historia tacuissent.

§. 3. Quomodo pro Ecclesia pugnando Deus tempus decurrat, ut spirituali Antichristum euertendo suo loco ostendat. Nunc eius reitryptum in obsidione Christus demonstrat, cum pro Romanis contra sacrilegos stetit. Ioseph. lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 16. Intro Titus ingressus, & alia, & ciuitatis munitiones, ac curiarum cautas miratus est, quas tyranni per dementia deferuerant.